

1075

I C O D I C E S 9

1076

ris. 1690. T. II. p. 525. directa ad Guilelmum Abb. S. Theodoricum cum Praefatiuncula, quam Codex ignorat.

II. fol. 12. p. 2. Incipit tractatus eiusdem de conscientia. Initium: Conscientia in qua anima perpetuo est mensura (mansura) edificanda est &c. Bernardi non est, vix etiam Hugonis a S. Victore, in cuius Operibus tertium de Anima Librum constituit. Legitur tamen inter Subposita Opp. Bernardi T. V. p. 335. et quidem cum Prooemio et multo plenior, quam hic in Codice.

III. fol. 23. p. 2. Incipit tractatus eiusdem de apertione cordis. Initium: De apertione cordis tractare intendimus. Est enim cor tamquam liber &c. Non inuenio in Opp. Bernardi; esse tamen Coenobitae cuiusdam forsitan ipsi coaevi vel e sequenti Abbatum censura credibile fit: Plerique abbates in cameris extra carcerem claustrum de bonis ipsorum claustralium delicate uiuunt. ipsos in claustrali carcere cum pisa (piso) et olere relinquentes plus in salmone quam in salomone legentes. Vnde licet omnes dicant se esse fratres, non tamen omnes scutelle sunt sorores, nec isti unquam carcerem claustrum intrant, nisi certis diebus ad intrandum capitulum, ad proprietarios excommunicandos, et precepta cum imperio rubentibus buccis facienda.

IV. fol. 28. Incipit tractatus eiusdem de confessione. Initium: Corde creditur ad iusticiam ore autem fit confessio ad salutem —

Tria proponuntur. et corde credere ad iusticiam et ore confiteri &c. Excerptum est e Sermone Nicolai Claraevallensis in Festo S. Andree, qui legitur T. V. Opp. Bernardi cit. p. 713.

V. fol. 31. Incipit tractatus eiusdem de fuga pueri et reductione eius. Initium: Rex potens et diues deus omnipotens filium sibi fecit hominem &c. Est Prima Parabolarum vulgo Bernardo adscriptarum T. Opp. III. p. 1245. ubi insignitur: De Pugna spirituali.

VI. fol. 33. p. 2. Incipit prologus beati bernardi abbatis ad (Henricum) episcopum senonen. Initium: Domino venerabili N. senonencium archiepiscopo &c. Initium Tractatus: Igitur ex quo regni celorum clauis deo auctore &c. Extat Opp. T. II. p. 461. inscriptus: De Moribus et Officio Episcoporum, a nobis indicatus Cod. etiam seq.

Inerant praeterea olim isti, ut Nota praefixa docet, Vita s. Guiberti conf. et Revelationes eiusdem. Vita s. Maclovi sive Machutis ep. et conf. Vita s. Germani parisiensis ep. Vita et passio s. Bonifacii ep. magunt. Vita et passio s. Conrardi ep. treueror.

CCXC. VII. 273.

Codex chartaceus lat. Sec. 251 XV. Folior. 348. f. eleganter scriptus et coloribus decoratus hanc praefert επιγραφη: Hic Liber datus est ad librariam collegij ducalis ex opposito fratrum pre-

*predicatorum wienne per venerabilem virum Magistrum thomam de haspach de rebus diuine memorie Magistri Conradi de halstat (qui ab anno 1426. ad an. 1456. novies magistratum supremum Academicum gessit) sacrorum canonum olim doctoris eximij, cuius animam deus clementer respicere dignetur eterne beatitudinis corona eandem vestiendo sine fine Amen Anno 1460. Insunt in eo sequentia: I. Incipiunt meditationes Beati Bernardi Summe utiles omni homini Sed maxime viro religioso. Extant in edit. Opp. Maurina Paris. 1690. T. V. col. 319. sed in Monito praevio inter dubia Bernardi Scripta censentur. Praeferrunt saepius titulum: De interiori Homine, et, dum in editis XV. Capita constituunt, in Cod. nostro L. Capp. definiuntur, quorum primum incipit: Multi multa sciunt et semetipsos nesciunt &c. ultimum terminatur: in quo sponsum cum sponsa prospicies vnum eundemque dominum glorie. Qui viuit et regnat &c. Lectio satis sincera est. Sequitur Index, cui etiam Index sequentium trium Operum connexus est.*

*II. fol. 22. Incipit prefacio Beati Bernardi abbatis de consideratione ad eugenium papam. Primum Capitulum. Non scribit pape ex (prae) sumptione sed ex amore et eiusdem petitione, et ad eum ostenditur magnus amor. Ita singulis V. Librorum Capitibus praefixum est Summarium. Prooemii seu C. I. initium est: Subit animum dicere aliquid, quod te*

*papa beatissime Eugeni uel edificet, uel delectet, uel consoletur &c. Finis L. V. Proinde is sit finis libri sed non finis querendi. Opus istud, quod omnium, qui praesunt, ἐγγειδιον esse deberet, extat edit. suprac. T. II. col. 407. paucioribus, quia longioribus, Capitibus definitum, quam in nostro Cod. ad cuius calcem minio legitur: Explicit liber quintus beati bernhardi abbatis ad eugenium papam de consideratione, et statim*

*III. fol. 74. Incipit liber eiusdem Bernardi missus senonensi archiepiscopo (Henrico). Capitulum primum. Excusat se de scribendo tanto viro dicens se non scribere ex presumptione sed ex obedientia imperantis. Agitur de Moribus et officio Episcoporum, Capitibus L. quibus in edit. cit. T. II. col. 461. respondent IX. prolixa. Initium C. I. est: Domino suo venerabili senonensium H. archiepiscopo. frater Bernbardus si quid peccatoris potest oracio. Placuit vestre prestancie &c. Finis ultimi: dum morem modumque sollempnem in scribendo seruare nescirem.*

*IV. fol. 91. p. 2. Incipit liber beati bernardi abbatis clareuall. editus abbati cluniacensi de disciplina monachorum. Capi. primum. Non ex presumptione scripsit sed rationabili causa coactus. Abbas is est Guilelmus, qui antequam Cisterciensibus in Coenobio Signiacensi se addiceret, Monasterio S. Theodorici Monachorum nigrorum in Monte aureo prope Remos praefuit,*

fuit, *Cluniacensis* dictus, quod tunc cum Suis *Cluniacensium* ritus sequeretur. C. I. incipit: *Venerabili patri Guillelmo Frater Bernardus fratrum qui in clara valle sunt inutilis seruus salutem in domino. Usque modo si qua me scriptitare iussistis &c.* Extat edit. cit. T. II. col. 527. ubi tamen *prae-fatiumcula* legitur, quae a *Cod.* nostro abest, qui *Capp.* minoribus XLV. constat, cum in edit. non nisi XIII. proluxa censeantur. Finis est: *Quod ut nobis a vobis semper fiat omnino precor et supplico. Valete.* Similitates et aemulationes pravas non raro ex diversis ejusdem Ordinis religionum reformationibus pullulasse testis est cum reliqua Historia monastica et praesens *Apologia*, in qua an sagax *Bernardus* capram et caules, ut fert proverbium, fervaverit, Lector partium studio liber dispiciat.

V. fol. 107. absque titulo F. *Rainerii Sacconi* Itali *Placentini*, Sectae *Waldensium* et *Catharorum* primum Antistitis, dein O. P. et Quaesitoris fidei, circa an. 1258. *Mediolano* a *Turrianis* in exilium acti, ut pluribus habes in *Scriptt. O. P. T. I.* p. 154. *Opusculum contra Waldenses* X. *Capp.* constans, quod primus e *Cod.* mss. protulit doctissimus *Jac. Gretserus Ingolstadii* 1614. 4. unde in *Bibliothecas PP.* transit, et T. XXV. *Lugdunensis* p. 262. legitur. Prologi initium est: *Audistis quia anticristus venit &c.* et paulo post: *Ego frater Reinberus olim heresiarcha, nunc dei*

*gracia sacerdos in ordine predicatorum licet indignus hoc opusculum de hereticis compilavi &c.* Retractatum ab illo vel alio fuisse hunc laborem, et in aliam formam transfusum *Codices* testes sunt, qui in supracit. *Scriptt. O. P.* adferuntur, interpolatum vero ab homine germano, et quidem *Austriaco*, nomina locorum, in quibus Sectarii coetus suos habebant, ad calcem C. 3. evincunt, quorum aliqua in *Bibl. Lugdun.* perperam impressa hic emendare lubet adhibito T. II. *Scriptt. Rer. Austr. Hier. Pezii* p. 536. quo loco paene idem recens occurrit. *Strouzingen* lege *Stretzing*. *Leuhs* l. *Leubs*. *Dansteten* l. *Amstetten*. *Spunelburch* l. *Sündelburg*. *Sirnich* l. *Sierning*. *Wezskirchen* l. *Weizenkirchen*. *Ehemmenaten* l. *Kematen*. *Briezkirchen* l. *Grieskirchen*. *Ackergeuu* l. *Attergäu* vel *Abergäu* &c. Eidem Interpolatori tribuenda videtur *Raynerii* Appendix, quae in *Bibl. Lugd.* perpetua decurrit; in *Cod.* vero nostro his Rubricis distinguitur: *De yppocrisis* (*Hypocritis*) qui dicuntur *sterczer*. *Examinatio leoniste heretici*. *Discordancia et discrepancia* (*Eccl. Orient. et Occid.*) *Que sit fides kathari*. Nam in hac quoque teutonica leguntur vocabula, ut ipsum nomen *Sterzer*, quod vulgi lingua *otiosum Vagatorem* notat, ut bene observat Cl. *Adelungius* in *Lexico*, cui tamen non innotuit, fuisse olim Sectarios, qui peculiari hoc nomine designarentur. Item

*Schyltwurz, feldwurz, liebwurz,* quae in *Bibl. Lugd.* leguntur: *Stuckwurtz, Staldewurtze, Hewwurtze.*

VI. fol. 128. p. 2. *Augustinus de fide ad petrum.* Potius *Fulgentius Ruspenfis,* neque integer, sed, ut habetur in edit. *Opp. Augustini Mauriana T. VI.* in *append. Col. 28. a n. 47.* incipiens: *Firmissime tene et nullatenus dimitte uel dubites patrem et filium et spiritum sanctum unum esse naturaliter deum &c.* et desinens in n. 87. verbis: *tamquam hereticum eum abice.* Integer indicatus est *Codd.* aliis, ut ex *Indice* liquet.

VII. fol. 134. *Incipit pharetra fidei christiane contra Iudeos.* Initium: *Acuite sagittas, implete pharetras &c.* Finis: *se a tuis populis confixum fuisse ostendit.* Relata *Codd.* variis, ut v. g. *CCCLXV.* ubi *Theobaldo O. P.* adscribitur.

VIII. fol. 182. *Sermo ad Sacerdotes.* Absque Autoris nomine. In illud *Matth. C. 4.* *Accesserunt Angeli et ministrabant ei.* Initium est: *In recitata auctoritate duo declarantur circa sacerdotes &c.* Finis: *per denarium predicatorum impleant decalogum preceptorum. Amen.*

IX. fol. 185. absque inscriptione *Tituli Psalmorum et Canticorum biblicorum,* qualiter habentur in calce *Bibliorum* primitus impressorum v. g. *Beatus vir. Istum psalmum fecit david quando constitutus rex fuit in bethlabem &c.* De Cantico *Exulta-*

*vit* ridicule: *Istum psalmum fecit phannuel filia anne que fuit VII annis cum viro suo et eo mortuo LXXXVIII vidua usque dum deus noster importatus fuit &c.*

X. fol. 189. alia manu quam praecedentia: *In nomine domini nostri ihesu christi. Allegaciones hic scripte sunt domini lapi de castighonocho (Castiglionchio) de florenzia solempnissimi aduocati florentinen. abreuiate per me Antonium de butrio. Allegatio prima de appellationibus.* Initium: *In hac allegatione facit tria uel quatuor dubia &c.* Pluries *Allegationes* hae sub initia *Typographiae* prelo subpositae sunt, editionemque principem *Neapoli* a *Sixto Riesinger Alsata* circa an. 1470. in *fol. max.* curatam *Bibliotheca Augusta* seruat. Vitam Autoris, qui a *Gibellinis* patria eiectus *Romae* 1381. obiit, dedit *Laurentius Mebus Bononiae* 1753. cum *Opusculis* ejus quibusdam italicis in 4. *Allegationum* exemplar *ms.* ex *Bibl. Riccardiana* excitat *Job. Lamius* in *Catal.* p. 88. quod rursus in suis *Scriptt. Italis Vol. II. P. 4.* p. 2271. adferens *III. Mazzuchellius* titulo adjecit: *Abbatis Monasterii S. Miniatis,* de quo nihil *Lamius.* Et recte; alius enim est *Lapus* noster ab Abbate illo *Benedictino,* licet olim a *Trithemio* ἠμωσωμας ergo cum illo confusus, quod vel ex *Allegatione* 101. patet, qua *Lapus* noster *Lapum* illum, qui ex familia de *Podio bonizi* erat, in causa *Succeffionis ab intestato* defendit. Cavendum item, ne cum nepote suo

1083

CODICES

1084

fuo *Lapo Birago de Castellione* Sec. XV. Scriptore confundatur. In *Fabricii Bibl. med. et inf. Lat.* omnia nebulosa sunt, neque multum lucis affudit *Mansius*, utut *Italus*.

CCXCI. VI. E. 2.

290 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 280. f. luculente scriptus et rubricis ornatus complectitur *Bernardinum*, five *Floures* ex S. *Bernardi Claraevallensis* Abb. Operibus, non quidem omnibus genuinis illis, lectos circa an. 1240. a *Guillelmo* seu *Willemo S. Martini Tornacensis* Monacho, ut post *Ant. Sanderum* in *Cat. Codd. Belg.* p. 141. *Val. Andream*, et *Franc. Smeertium Mabillonius* cum T. I. *Analect.* edit. nov. p. 132. tum in *Praef. Opp. Bernardi. Paris.* 1690. f. patefecit; Editiones enim, five illa, quae f. l. et a. sed *Norimbergae* ex Offic. *Henr. Rumel, Job. Sensenschmid* &c. circa an.

Qui scripsit scripta manus eius sit benedicta.

Probe distinguendum est *Florilegium* istud, quo se *Mabillonius Praef. cit.* opportune usum fuisse testatur ad internoscendos genuinos *Bernardi* Sermones, a gemino alio breviori alphabetico, quorum Prius prodiit *Parisis* a. 1503. Alterum ab *Huberto Scuteputa* Can. Reg. confectum est a. 1571. et in Editiones *Bernardi* intrusum. Atque istud quidem *Mabillonio* non probatum.

1472. f. prodiit, five *Parisis* 1499. et *Lugdunensis* 1556. 8. nomen *Compileris* tacent. Praefationis initium est: *Cum non essem alicui exercicio magnopere occupatus? placuit mihi ut opuscula uiri illustrissimi beati Bernardi clareuallensis egregij abbatis! diligenter inspiciendo percurrerem &c.* Mox *ὁμοιομετρικῶν* operis exhibet: *Primus liber tractat de deo patre et filio et spiritu sancto? secundus de homine et anima? tertius de prelatibus? quartus de clericis et monachis? quintus de uirtutibus. sextus de uicijs. quatuor sequentes libri uidelicet. septimus. et Octauus. nonus et decimus. de quibusdam distinctionibus multum utilibus loquuntur.* Libri porro hi in Capita abeunt, quorum Elenchus Libris singulis praemissus est. Ad finem Ultimi: *Incipiunt Capitula excerptorum de dictis. S. Bernardi in laudem gloriose uirginis marie.* Sunt numero VI. in quorum calce legitur colore viridi:

Codicem ambiunt *Laciniae Necrologii* cuiusdam Sec. XIII. et XIV. quod ad Coenobium aliquod *interioris Austriae* pertinuisse videtur. In iis praeter Monachorum nomina legitur: *Otto Mordax. Vlricus de Perenstein. Jans de bierzek, Rugerus et Leukardis de planchenwart, Sophia soror mordacum, Vlricus de laz, Dominus Hermannus De Stubenberch Prepositus Friesacensis* (in Carinthia)